

Wilfried Stroh:

Übersetzung von Pressemitteilung zu *Total War Rome II*

Si vis pacem, para bellum

Bellum Totum: Roma II

Secunda series ludi iam plurimum ubique divenditi mense Septembri edetur

D. Londinio et Monachio a.d. XIII Kal. Sept. A.D. MMXIII

SEGA Europaea et Media Kochiana mox venditura sunt *Bellum Totum sive Romam II*. Pars novissima horum ludorum imperatoriorum, quos Conventus Ingeniosus disposuit quique in multis gentibus celebrati praemiisque ornati sunt, a.d. III Non. Sept. MMXIII publicabitur.

Iam inde ab A.D. MM in omni orbe terrarum lusores personas fortium ducum induunt copiasque hostium arte bellica superare conantur. Ubi plurimum positum est in sano consilio ac providentia, quoniam temeritas et nimia audacia in his pugnis, quae cum cinematice simulentur, ad uerum tamen tempus extenduntur, saepe in grauissimam cladem desinunt.

In hoc ludo, qui dicitur *Bellum Totum: Roma II*, lusores Romanorum senatorum quoque aemulationibus et fallaciis implicantur, cum necessariis suis contendunt eisque diffidere coguntur, quos immerito amicos ac socios crediderunt. Ergo ut ad summam rerum potentiam ac potestatem pervenias, non satis est eum exercitum ducere, qui magnitudine omnibus antecellat.

Conventus Ingeniosus, qui iam XXV annos novos ludos feliciter invenit atque excogitat, sibi proposuit contentionem tantam fabricare, quae varietate et magnitudine casuum periculorumque omnia vincat quae antehac fuerunt eum in modum, ut tam pugna ipsa amplitudine immensa sit quam fortunae singulorum militum, qui in acie dimicant, diligenter describantur

Belli Totius cum iam centies tricies centena milia exempla divendita sint, quibus accesserunt septuagies centena milia additamentorum digitalium, vix ullus e serie ludorum bellicorum, qui verum tempus simulant, tantum successum habuit. Accedit quod ludi singuli ex hac serie multis in mercatibus nobilissimis praemia acceperunt. Quibus assensi sunt commentariorum scriptores harum artium periti, qui optimas notas, i.e. fere centesimas undenonagenas, tam propter ipsum ludum quam propter iucunditatem audiendi et spectandi tribuendas censuerunt.

Bellum Totum: Roma II solum computatris singulis destinatum publicabitur a.d. III Non. Sept. MMXIII

Plura disces e pagina publica nostra www.totalwar.com